Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0001-9

Preces has et Lectiones
in
Gymnaſiis Wratislavien-
ſibus uſitatas,
Bibliothecæ Gymnaſii noſtri
inſerit,
illorum Gymnaſiorum olim
civis
M. Balthaſar Hoffmann.
Rector.
Martisburgi d. 26. Aug. 1750.

---

Cum precibus jungat ſtudium, qui
tendit ad artes:
Dimidium ſtudii rite precatus
habet.

Sb.* Q 10.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0002-4

Bd. II.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0004-5

L193,

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0006-6

# PRECES QUOTIDIANÆ PRIMI & SECUNDI ORDINIS

IN

# GYMNASIIS VRATISLAVIEN-SIBUS.

* * *

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0007-2

# Mane ante Lectiones.

In Nomine Patris, Filii & Spiritus ſancti. Amen!

QUod tua me voluit tuto requieſcere ſomno
Gratia, ſit ſupplex gratia, Chriſte, tibi.
Dulce laboris opus repetam; me, Chriſte guberna,
Ut faciam ſemper munia grata tibi.
Me rege, ſitque loco mihi præſens Angelus omni,
Qui rabidas reprimat Dæmonis inſidias.
Flecte animum, carnem frena, mihi conſcia recti
Sit mens, in vera Te duce firma fide!

## Precatio Matutina.

OMnipotens, æterne, vive & vere DEUS, æterne Pater Domini noſtri JEſu Chriſti una cum Filio & Spiritu Tuo Sancto! Gratias agimus Tibi pro immenſis ac inenarrabilibus beneficiis Tuis, pro Filii unigeniti miſſione, pro donatione Spiritus Sancti, pro patefactione Evangelii; tum quoque, quod hac nocte per tuos ſanctos Angelos, nos adverſus furores

res & inſidias Diaboli defendiſti, & ab omnibus aſtutiis illius liberaſti. Et ſicut dixiſti: Invoca me in die tribulationis, eripiam te, & tu glorificabis me; Ita nos Te in nomine & fiducia Mediatoris noſtri invocamus, & petimus, miſerere noſtri propter Filium Tuum, quem pro nobis Victimam, Mediatorem, ac Deprecatorem eſſe voluiſti. Rege ac guberna nos Spiritu tuo Sancto, ut Verbum tuum reverenter audiamus, vera fide ac firma aſſenſione amplectamur, & his etiam horis in Veritatis tuæ agnitione, bonisque artibus & ſtudiis, debita cum attentione verſemur, ac in iis tuæ benedictionis beneficio feliciter proficiamus. In hac mundi ſenecta, ſerva Eccleſiam & Politias, quæ ſunt hoſpitia Eccleſiæ. Guberna docentes in Eccleſia pariter ac Schola, & diſcentes, ut maneat incorrupta Vox Evangelii, & Lucem Doctrinæ divino Beneficio accenſam, non finas a nobis auferri. Collige & ſerva tibi inter nos Eccleſiam Te recte invocantem & celebrantem; atque in hac mortalitate, ſerva nobis tranquilla hoſpitia atque regimen ſalutare. Spiritu tuo Sancto guberna Magiſtratus noſtros, ſub quorum Umbra Eccleſia atque Studia hoſpitia habent. Suſtenta quoque & conſolare omnes ærumnoſos & afflictos, qui te in nomine & fiducia Mediatoris noſtri invocant, & nos omnes in curriculo ſtudiorum juva, ut ſimus organa ſalutaria, & tibi aliqua grata faciamus. Amen.

# Precatio pro Eccleſia.

OMnipotens, æterne DEUS, Pater Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, qui dixiſti: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos! Nos ad te converſi confitemur, multis nos peccatis eſſe obnoxios, & multiplici ingratitudine contaminatos. Quapropter confugimus ad Mediatorem noſtrum, Filium tuum, quem propter nos & ſalutem noſtram in hunc mundum miſiſti, & petimus, ut propter hunc Filium tuum omnia nobis peccata ignoſcas. Et quia vides, quod gentes fremant, & populi meditentur nefaria adverſus Chriſtum tuum & Eccleſiam ejus; quod furore horribili veram doctrinam, quam Filius tuus ex ſinu tuo nobis attulit, variis errorum præſtigiis conſpurcare, obfuſcare & exſtingvere conentur: Reſpice in minas eorum atroces, & propter nominis tui gloriam, Cymbam tuam defende atque protege. Magna, o DEUS, noſtris cervicibus impendent pericula, exitia, cædes, quæ nemo, niſi tu, poteſt avertere. Qui ergo dixiſti: Ero vobiſcum usque ad conſummationem ſeculi; Præſentiam tuam nobis declares, Potentiam tuam oſtendas! Furorem hoſtium, qui quærunt animam, & ſitiunt ſanguinem noſtrum, frangas; Conſilia Tyrannorum diſſipes, eosque confuſione induas; ut ſentiant Te, JEHOVAM, eſſe protectorem noſtrum, Adjuva nos, o DOMINE, σωτήριον noſtrum! Introëat in conſpectum tuum gemitus vocantium & quærentium TE! Largire Pacem & Tranquillitatem his regionibus, Eccleſiis,

ſiis, Scholisque, & mitiga calamitates publicas & privatas. Sic nos Populus tuus, & oves paſcuæ tuæ, ſecundum multitudinem magnitudinis tuæ, & ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuæ; in Sanctis & Virtutibus tuis, laudabimus te Seculis infinitis. Amen!

## Precatio pro Studiorum ſucceſſu.

PRimitias cogitationum noſtrarum ac ſtudiorum tibi, Pater cœleſtis, in nomine JeſuChriſti filii tui, ineunte hac { hebdomade / die } devote offerimus, conſecramus, & commendamus. Tu eas Spiritu tuo ſancto ſanctificare ne dedigneris, nosque in hanc ejusdem officinam iterum ingreſſos, tuæ præſentiæ ita fac memores, ut tanquam coram Te congregati, nec nobis ſed Tibi viventes ſtudentesque, ſimus pii, induſtrii ac attenti, Te principium, Te finem laboris omnis noſtri conſtituamus. Mitte Lucem tuam & Sapientiam tuam de cœlis ſanctis tuis & a ſede magnitudinis tuæ, ut nobiſcum ſit, & nobiſcum laboret, quo ſciamus, quid acceptum ſit coram Te. Sit ſplendor tuus, Domine Deus noſter, ſuper nos, & opera manuum noſtrarum dirige, imo opera manuum noſtrarum dirigito ac proſperato. Amen!

PAter noſter, qui es in cœlis:
Sanctificetur nomen Tuum.
Adveniat Regnum Tuum.
Fiat Voluntas Tua, ſicut in Cœlo, ita & in Terra.
Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.
Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.
Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos a malo.
Quia Tuum eſt regnum. & Potentia, & Gloria, in Secula Seculorum. Amen!

## Poſt Lectiones matutinas.

BEnedicta ſit Sacroſancta Trinitas; confitebimur ei, quia fecit nobiſcum miſericordiam. Gloria Patri, a quo creati ſumus: Gloria Filio, per quem redemti ſumus: Gloria Spiritui ſancto, in quo ſanctificati ſumus! Populum cunctum Tu, Deus trinune, protege, munda, eripe & ſalva! Te adoramus, omnipotens; tibi canimus, tibi ſit laus & gloria in ſecula infinita. Amen!

Serva

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0012-0

SErva DEUS, Verbum Tuum, & frange vires hoſtium; qui JESUM Filium, ſuo turbare conantur Throno. Oſtende nunc Potentiam, o Chriſte, Rex Regum, tuam: Defende parvulum Gregem, qui Te fatetur Principem. Vivificator Spiritus, Concordiam da Cordibus, adſis periclitantibus, cum Morte confliĉtantibus. Tu diſſipa vafros dolos, adverte in illos, o DEUS! fac in foramen incidant, Eccleſiæ quod comparant. Sic fiet, ut Te ſentiant, Verum DEUM, quem pernegant; qui fortiter nos adjuvas Regni ſuperni convenas.

Pater noſter, qui es in Cœlis: &c.

SIt nobis Deus propitius & benedicat nobis: Illuminet vultum ſuum, ut cognoſcamus in terra viam ipſius, in omnibus gentibus ſalutem ipſius. Benedicat nobis Deus, Deus noſter, benedicat nobis Deus, & timeant eum omnes fines terræ. Amen!

# Poſt Meridiem.

## Ante Lectiones.

### Alternis vicibus uno die his precibus fiat initium.

VEni Sancte Spiritus,
Et emitte cœlitus
Lucis tuæ radium.

Veni Pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.

Conſolator optime,
Dulcis hoſpes animæ,
Dulce refrigerium.

In labore reqvies,
In æſtu temperies,
In fletu ſolatium.

O Lux beatiſſima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.

Sine tuo Numine
Nihil eſt in homine
Nihil eſt innoxium.

Lava, quod eſt ſordidum;
Riga, quod eſt aridum;
Sana, quod eſt ſaucium.

Flecte, quod eſt rigidum,
Fove, quod eſt frigidum,
Rege, quod eſt devium.

Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum ſeptenarium.

Da Virtutis meritum,
Da Salutis exitum,
Da perenne Gaudium. Amen!

Do-

*   *   *

DOmine JESU Chriſte, qui duodecim annos natus, inter Doctores repertus, cœleſtis ingenii tui divinam indolem oſtendiſti: Adjuva, quæſumus, ingenia noſtra, effice illa pietatis honeſtarumque artium & avida & capacia! Rege & guberna ſtudia noſtra, ut hæc aliquando ſint inſtrumenta illuſtrandæ gloriæ tuæ, utilia Reipublicæ, ſalutaria vero animabus noſtris. Qui vivis & regnas cum Patre & Spiritu ſancto, in omne ævum. Amen!

Pater noſter, &c.

## Altero die ſequentibus precibus fiat initium.

VEni Creator Spiritus,
Mentes tuorum viſita,
Imple ſuperna gratia,
Quæ Tu creaſti pectora.

Qui Paracletus diceris,
Donum DEI altiſſimi,
Fons vivus, ignis, charitas.
Et ſpiritualis unctio.

Accende lumen ſenſibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma noſtri corporis
Virtute firmans perpetim.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0015-6

Hoſtem repellas longius,
Pacemque dones protinus.
Ductore ſic te prævio
Vitemus omne noxium.

Per te ſciamus, da, Patrem,
Noſcamus atque Filium,
Te utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Sit laus Patri cum Filio,
Sancto ſimul Paracleto,
Nobisque mittat Filius
Chariſma Sancti Spiritus. Amen!

GUberna, o Domine Jeſu Chriſte, curriculum vocationis noſtræ, ut ſerviat gloriæ tuæ: fac nos vaſa miſericordiæ tuæ deſtinata ad uſus Tibi placentes, nobis vero atque aliis ſalutares. Arce a nobis prava ſodalitia, ne conſvetudine eorum a Te retrahamur & ruamus in peccata ac ſcelera. Incende & ſanctifica corda noſtra Spiritu tuo ſancto, ut vere ardeamus amore diſcendi & propagandi tum rectam Evangelii tui, tum bonarum artium doctrinam. Confirma nos in vera fide & agnitione Tui, ut in ea perſeveremus usque ad vitæ noſtræ finem, & Te cum omnibus electis in vita æterna perpetuo celebremus. Amen!

Pater noſter, qui es in cœlis, &c.

Poſt

# Poſt Lectiones pomeridianis.

Veſpera jam venit, nobiſcum, Chriſte, maneto,
Exſtingui lucem ne patiare tuam.

GRatias agimus Tibi, æterne Deus, ac Pater Domini noſtri JESU CHRISTI, quod Doctrinæ tuæ lucem inter nos accendiſti, ejusque & aliarum bonarum literarum cognitione nos hodierna quoque die imbui feciſti. Teque oramus, ut peccata noſtra omnia his etiam horis commiſſa propter filii tui ſanguinem clementer nobis remittas: Cœtum vero hunc docentium & diſcentium porro ſerves, regas & defendas, atque labores noſtros Spiritu tuo ſancto juves, ut nobis & poſteritati ſint ſalutares. Collige Tibi Eccleſiam cum in toto Orbe terrarum, tum quoque inter nos, & hæc hoſpitia Eccleſiæ tuæ literarumque ita protege atque tuere, ſicut domum viduæ Sareptanæ, cum Eliam hoſpitio excepiſſet Tu Domine, cuſtodi nos ab omni malo, cuſtodi animas noſtras, cuſtodi introitum atque exitum noſtrum ex hoc nunc & usque in ſeculum. Amen!

Pater noſter, qui es in cœlis, &c.

Da pacem, Domine, in Diebus noſtris, quia non eſt alius, qui pugnet pro nobis, niſi Tu DEUS noſter. Amen!

Le-

# Lectiones Primi Ordinis GYMNASII ELISABETANI.

## Mane:

| | ☾ | ♂ | ☿ |
|---|---|---|---|
| Hora VII. ad VIII. | Poëta latinus, Virgilius, Seneca Tragicus, Horatius, alternis vicibus annuis. | Auctor græcus; Plutarchi opuſcula, vel ex Chreſtomathia Geſneriana ac Patriſtica alii. | Exhibitio & Emendatio Exercitii proſaici die Jovis antecedente propoſiti. |
| VIII. ad IX. | Auctor claſſicus, Ciceronis Officia, Plinii Panegyr. Curtii Hiſtoria, alternis vicibus annuis. | Lectio Oratoria, ad Elementorum Oratoriorum Partem poſteriorem, tum theoretica, tum practica per declamationes. | |
| IX. ad X. | Inſpectoris Lectio Theologiæ Polemicæ ad B. Buddei libellum de veritate religionis Evangelicæ. | | Logica Joh. G. Heineccii, vel Ontologia & Metaphyſica Buddei, annuis alternis vicibus. |

## A meridie.

| | ♃ ☾ | ♀ ♂ | ☿ ♄ |
|---|---|---|---|
| I. ad II. | Novi Teſtamenti græci grammatica & philologica tractatio. | Lectio Hebraica. | Lectio Mathematica. |
| II. ad III. | Propoſitio Exercitii. | Exercitatio Epiſtolica ad ductum Heineccii in Fundamentis ſtili cultioris. | |

# Lectiones I. Ordinis.
## GYMNASII ELISABETANI.

### Mane:

| Hora | ♃ | ♀ | ♄ |
|---|---|---|---|
| VII ad VIII. VIII. ad IX. | Lectio Hiſtorica ad ductum Compendii Hiſtorici B. Gottl. Krantzii. | Philoſophia Practica ad ductum elementorum B. Joh. Fr. Buddei. | Exhibitio & Emendatio Exercitii Poetici die Lunæ propoſiti. |
| IX. ad X. | Eccleſiaſtæ Lectio Theologiæ Dogmaticæ, in Inſtitutiones theticas J. F. Burgii. | Lectio Phyſica in J Fr. Wucheri Philoſophiam naturalem | Lectio Exegetico-Aſcetica in Pericopas evangelicas vel epiſtolicas alternis vicibus. |
| | **A meridie.** | | |
| | ♃ | ♀ | ♄ |
| I. ad II. | Propoſitio Exercitii proſaici. | Lectio Mathematica. | Lectio Mathematica. |
| II. ad III. | Exercitatio vel diſputatoria, vel compoſitionis oratoriæ extemporaneæ. | | |

# Lectiones I. Ordinis GYMNASII MARIAE-MAGDALENAEI.

## Mane.

| | ☾ | ♂ | ☿ |
|---|---|---|---|
| Hora VII. ad VIII. | Auctor Claſſicus, Ciceronis Officia, Plinii Panegyr. Curtii Hiſtoria, alternis vicibus annuis. | Poeta latinus, Virgilius, Seneca Tragicus, Horatius, alternis vicibus annuis. | Exhibitio & Emendatio Exercitii proſaici die Jovis antecedente propoſiti. |
| VIII. ad IX. | Exercitatio Epiſtolica ad ductum Heineccii in fundamentis ſtili cultioris. | Lectio Oratoria, ad Elementorum Oratoriorũ partem poſteriorem, tum theoretica, tum practica per Declamationes. | |
| IX. ad X. | Inſpectoris Lectio Theologiæ Polemicæ ad B. Buddei libellum utrique Gymnaſio communis. | | Exercitatio vel diſputatoria, vel compoſitionis oratoriæ extemporaneæ. |

## A meridie.

| | ☾ | ♂ | ☿ |
|---|---|---|---|
| Hora I. ad II. | Novi Teſtamenti græci grammatica & philologica tractatio. | Lectio Hebraica. | Lectio Mathemathica, utrique Gymnaſio communis in Gymnaſio Eliſabetano. |
| II. ad III. | Propoſitio Exercitii poetici. | Auctor græcus, Plutarchi opuſcula vel ex Chreſtomathia Patriſtica ac Geſneriana alii. | |

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0020-4

# Lectiones I. Ordinis
## GYMNASII MARIAE-MAGDALENAEI.

### Mane.

| | ♃ | ♀ | ♄ |
|---|---|---|---|
| Hora VII. ad VIII. | Lectio Hiſtorica ad ductum compendii Hiſtorici B.Gottl.Krantzii. | Philoſophia practica Buddei, ut ♃. a meridie hora III. | Exhibitio & Emendatio exercitii, poetici, die Lunæ propoſiti. |
| Hora VIII. ad IX. | | Logica J. G. Heineccii, vel Buddei Ontologia & metaphyſica, ſive J. F. Wuchereri Phyſica, alternis vicibus annuis, vel ſemeſtribus. | |
| Hora IX. ad X. | Lectio Theologiæ Dogmaticæ in Inſtitutiones theticas J. Fr. Burgii. | | Lectio Exegetico-aſcetica in Pericopas evangelicas vel epiſtolicas, alternis vicibus. |

### A meridie.

| | ♃ | ♀ | ♄ |
|---|---|---|---|
| Hora I. ad II. | Propoſitio exercitii proſaici. | Lectio Mathematica utrique Gymnaſio communis. | Lectio Mathematica utrique, Gymnaſio communis. |
| Hora II. ad III. | Philoſophia Practica ad ductū Elementorum J.F.Buddei. | | |

# Lectiones II. Ordinis GYMNASII ELISABETANI.

## Mane.

Semper præmiſſa Lectione Bihlica Vet Teſt.

| | ☾ | ♂ | ☿ |
|---|---|---|---|
| Hora VII. ad VIII. | Lectio Theologica in B. Zachariæ Hermanni compendium Theologicum. | Juſtinus. | Correctio Exercitii die Lunæ hora I. propoſiti. |
| VIII. ad IX. | | Idem. | |
| IX. ad X. | Analyſis N. T. Græci. | Poeſis Latina cum Propoſitione Verſuum. | Vocabula ex Delio Græca. |

## A meridie.

Semper præmiſſa Lectione Biblica Nov. Teſt.

| | ☾ | ♂ | ☿ |
|---|---|---|---|
| Hora I. ad II. | Propoſitio Exercitii ſtyli. | Selectæ ex profanis ſcriptoribus Hiſtoriæ. | Vacant Lectiones publicæ, habentur autem privatæ. |
| II. ad III. | Cicero de ſenectute & amicitia, vel ejusdem ſelectæ Epiſtolæ Famil. vicibus alternis annuis. | | |

# Lectiones II. Ordinis.
## GYMNASII ELISABETANI.

### Mane:

Semper præmittenda Lectio Biblica Vet. Teſt.

| Hora | ♃ | ♀ | ♄ |
|---|---|---|---|
| VII. ad VIII. | Vocabula Græca ex Delii Fontibus. | Correctio verſuum die ♂ propoſitorum bis halb 9. Uhr. | Correctio Exercitii die ♃ propoſiti. |
| VIII. ad IX. | Elementorum Oratoriorum Pars prior, de Periodis; de Tropis & Figuris; de Chria; vicibus alternis ſemeſtribus. | | |
| IX. ad X. | | Ovidii Libri Triſtium von halb 9 Uhr bis zu Ende. | Dictorum Biblicorum latinorum, vel Pericoparum Evang. Græc. & Lat. Recitatio. |

### A meridie.

Semper præmittenda Lectio Biblica Vet. Teſt.

| Hora | ♃ | ♀ | ♄ |
|---|---|---|---|
| I. ad II. | Propoſitio Exercitii ſtyli. | Grammaticæ Græcæ Tractatio. | Vacant Lectiones publicæ, privatæ autem habentur. |
| II. ad III. | Logicæ primæ lineæ Heineccianæ; vel Einleitung in die Sitten-Lehre; alternis vicibus annuis. | Lectio Geographica ad ductum Quæſtionum Joh. Hübneri. | |

# Lectiones II. Ordinis
# GYMNASII MAGDALENAEI.

## Mane:

| | Præmiſſa ſemper Lectione Biblica Vet Teſt. | | |
|---|---|---|---|
| | ☾ | ♂ | ☿ |
| Hora VII. ad VIII. VIII. ad IX. | Lectio Theologica in B. Zachariæ Hermanni compendium theologicum. | Elementorum Oratoriorum Pars prior, de Periodis; de Tropis & figuris; de Chria; vicibus alternis ſemeſtribus. | Exhibitio & Emendatio Exercitii die Lunæ propoſiti. |
| Hora IX. ad X. | Propoſitio exercitii ſtili. | Cicero de Senectute & amicitia; vel ejusdem Epiſtolæ famil. alternis vicibus añuis. | Juſtinus. |

## A meridie.

| | Præmiſſa ſemper Lectione Biblica Nov. Teſt. | | |
|---|---|---|---|
| | ☾ | ♂ | ☿ |
| Hora I. ad II. | Poëſis latina cum propoſitione verſuum. | Logicæ primæ Lineæ Heineccianæ; vel Einleitung in die Sitten Lehre; alternis vicibus añuis. | Vacant Lectiones publicæ, privatæ habentur. |
| Hora II. ad III. | Ovidii Libri Triſtium. | Vocabula græca exDeſii fontibus. | |

# Lectiones II. Ordinis
# GYMNASII MAGDALENAEI.

## Mane:

Semper præmiſſa Lectione Biblica Vet. Teſt.

| | ♃ | ♀ | ♄ |
|---|---|---|---|
| Hora VII. ad VIII. | Propoſitio exercitii ſtili. | Grammaticæ græcæ tractatio. | Exhibitio & Emendatio Exercitii die Jovis propoſiti. |
| VIII. ad IX. | Exhibitio & emendatio verſuum die Lunæ propoſitorum. | Analyſis N. T. græci. | |
| IX. ad X. | | Vocabula græca ex Delii fontibus. | Dictorum Biblicorum latinorum, vel Evang. & Epiſtol. pericoparum græc. lat. recitatio & explicatio per vices annuas. |

## A meridie.

Semper præmiſſa Lectione Biblica Nov. Teſt.

| | ♃ | ♀ | ♄ |
|---|---|---|---|
| Hora I. ad II. | Juſtinus. | Selectæ ex profanis Scriptoribus hiſtoriæ. | Vacant Lectiones publicæ, habentur autem privatæ. |
| Hora II. ad III. | Lectio Geographica ad ductum quæſtionum Joh. Hübneri. | | |

VD18

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0027-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0028-8

# PRECES QUOTIDIANÆ PRIMI & SECUNDI ORDINIS IN GYMNASIIS VRATISLAVIENSIBVS.

* * *

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-752111-p0029-8